

bori, quae omnium istorum umbram praesertit, illum comparavit. Coniugalium amor maxime in illo enituit, nam alii viri uxores suas amantes venero amore frequenter alliciuntur; Ioseph autem castissimo amore Virginem prosequetur: alii amore concupiscentiae, qui voluptatem quaerit, consortium suam amat; Ioseph amore amicitiae, non in amantem, sed amat bonum respicit, ardentem diligebat. Mansuetudo deinde in eo mirifice praefulsit, cum zelotypicum furorem sponsa sua ab eo inlata praegnanate, ita cohibuit, ut ab eius accusatione se abstineret, Evang. dicente (Matth. 2): *Notuit eam traducere. Liberalitas tandem, et animi magnificentia ei non defuit, quia licet ad faciendum magnos sumptus facultas ei non suppleret, quae tamen labore manuum suarum quaeritabat, ae omnia in matris, et proli subsidium convertebat, ob quae merito Christus Dominus ei dicere poterat quod David Deo (Ps. 22): In te prociectus sum ex utero matris meae: nec non et Maria laetanter intonare (Gen. 2.): Sub umbra eius quem desideravam sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VII.

Ostenditur, quam utile fuerit Christo Domino praesertim in eius infantia, Iosephum, in Mariae sponsum, et in proprium nutrimum, et custodem elegisse, explicatis illis verbis: Quaesivit Dominus sibi virum secundum cor suum.

Quamvis omnipotentia deitatis, quae sub humana infantilis corporis substantia latebat, facili negotio potuisset Christus Dominus et ab Herodiana saevitia se eripere, et ab adversi temporis inclementia in itinere ad Aegyptum se protegere; placuit tamen ei, cui facile est honestare pauperem in oculis eius, humilem Iosephum ita exaltare, ut eum non solum in suae genitricis sponsum, sed et in suae infantiae nutrimum, ac protectorem eligeret. Unde verba illa (1. Regum c. 13) apte satis in divum Iosephum convenire mihi videntur: *Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum.* Licet enim secundum sensum literalem verba haec dixerit Samuel de Davide, quem loco Saulis Dominus in regem elegerat; in sensu tamen mystico, aut accommodatio, ut moris est apud Patres, congrue ei quadrat: maxime, quod non semel sacra Scriptura multa de filiis praedicit sub nomine suorum parentum, ut clare constat in Gen. 49: ibi enim Iacob futura vaticinans, inquit: *Don quoque iudicabit; quod in Sampsone impletum fuit, et in libro Psalmorum frequenter videmus, loquente Deo cum Davide, sermonem dirigi ad Christum eius filium. Similiter igitur Samuel illa verba profertens de Davide, eadem quoque retulit ad Iosephum ipsius Davidis filium, quem Dominus sibi quaesiturus erat non ad regnandum super Israel, sed quod excellentius multo est,*

ad imperandum, et dominandum super Creatorem totius orbis, ut divus Lucas (c. 11) testatur: *Subditus erat illis, hoc est Mariae, et Iosepho. Unde d. Bernardus (ser. 2. sup. Missus est) de Iosepho loquens, inquit: Quem tanquam alterum David Dominus invenit iuxta cor suum, cui tuto committeret sacratissimum sui cordis arcanum; hoc autem arcanum Verbum divinum erat sub infantili carne delitescens, quod cum innumeris aliis sacramentis Iosepho Dominus credidit, ut melius, quam David, verba illa sibi usurpare potuisset (Ps. 50): *Incerta, et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Atque hinc est, quod, ut observavit divus Bernardus (praec. loc.), et angelus vocavit Iosephum filium David: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, et d. Lucas dixit esse de domo David: quae non absque mysterio censi debent dici. Vocatur enim filius David, ac de eius domo, non solum, quia ab eo secundum originem sanguinis descenderet, sed quia ab eius honestis moribus minime degeneraret. In eo tamen praecipue ei persimilis fuit, tum quia, sicut David, licet singularem curam habuit honorandi, et providendi mysticam illam arcam veteris testamenti, ita et Ioseph singularem curam adhibuit in custodienda, honoranda, et protegenda beata Virgine, mystica novi testamenti arca per veterem illam praefigurata: tum etiam quia sicut David mansuetudine clarus fuit (Ps. 131): *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius;* ita et Ioseph mansuetudinis virtute mirifice praefulsit: etenim, sicut (1. Reg. cap. 26) legitimus, cum rex David facili negotio vindictam sumere potuisset de Saule, quem dormientem invenit, iram suam tamen coercens, omnino ab eius percussione se abstinit: *Vivit Dominus, inquit, quia nisi Dominus percussisset eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in praelium descendens perierit: propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini;* ita sacratissimus Iosephus, quamvis praegnantem videret sponsum, quam nunquam tetigerat, ac proinde potuisset illam accusare, prudenti tamen mansuetudine ductus ab huiusmodi accusatione se abstinit, evangelista Luca dicente: *Cum esset iustus, noluit eam traducere; sed antea rei curam fidenter in Deum iactavit. Nec ferellit enim illa mansuetudo, neque haec fiducia: siquidem continuo angelus Dominum apparuit ei dicens (Matth. 2): *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.****

Quam igitur apte proposita verba in hunc tantum virum conveniant, latius explicemus (1. Reg. 13): *Quaesivit sibi Dominus virum iuxta cor suum;* expendamus primum verbum illud, *quaesivit.* Sedula cura, ac diligenti studio quaesivit Dominus Iosephum: hanc enim vim habet verbum hebraeum, *hiches,* quo utitur originale, in quo sensu Salomon illud etiam accepit (Cantic. 3) in persona sponsae, dicens: *Quaesivi quem diligit anima mea: cuius indefatigabilem curam in quaerendo dilectum, illud manifestum iudicium extitit, quod circumvit civitatem, ac per vices, et plateas illum*

quaeritabat, et quoscumque in via offendebat, de illo statim interrogabat. Vigilantiori certe studio, ac diligentiori cura quaerebat Dominus inter filios Israel virum aptum in sponsum Mariae, virginitalis eius custodem, ac suae infantiae nutrimum, et in periculis defensorum; nullum tamen ad haec tanta munera praestanda Iosepho aptiorem invenit. Unde quemadmodum d. Chrysostomus (hom. de David et Gol.) sapienter dixit: *Quaerendo iudicari Deum singulos homines cum diversos attingisset, examinasset cunctos, plurimosque praevigilasset, e quorum numero eligeret regem, invenit tandem David, cuius meritum transire non potuit; ita similiter explorans Deus merita singulorum mortalium, cum omnia illa praeritisset, utpote insufficientia ad munera sponsi, et nutritii suscipienda, meritum tamen sanctissimi Iosephi praeriter non potuit, quin eum his tantis officiis praeficeret. Accidit quidem d. Iosepho, quod in senatu regio non semel contingit: refertur regi catalogus eorum, qui vacante aliqua dignitate aptiores censentur ad eius functionem, et multis ex his qui nominantur, praeremissis, cum pervenit ad eum quem rex digniorem praecoepserat, continuo ipse quasi meritum illius praeriter non valens, calamo scribit in margine: *Hinc confertur haec dignitas. Ad eundem certe modum inter plures viros sanctitate conspicuos, qui menti divinae obiciebantur, nullum digniorem inveniens, quem in patrem suae infantiae adoptivum et protectorem acciperet, quam beatum Iosephum, eius meritum praeriter non potuit, sed illum ad id munus elegit, meliusque de illo, quam de David patre suo dicitur potuisset (Acto. 13): *Intenti David, virum secundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas.* Sicut enim iuxta parabolam Christi Domini, mulier illa quaesivit diligenter margaritam pretiosam per omnes sui domicilii angulos, ac tandem inter sterces illam invenit, ubi minus inventuram putabat: cui persimile est, quod vere contingit Samueli, cum inter filios Isai quaerens quem Deus sibi elegerat in regem, omnes praeriret, tandem elegit Davidem oves pascentem in agro; ita quidem, cum omnes illos patriarchas, et reges Abraham, et Davidem, quos d. Matthaeus in exordio suae historiae commemorat, Dominus praeremississet, tandem inter sterces tot saeculorum hominum, et mulierum, quae in genealogia illa narrantur, invenit gemmam pretiosam, hoc est, iustum Iosephum, cuius meritum praeriter non potens illum elegit, ut matri suae esset sponsus, et sibi nutritius, et custos.**

Observandum tamen est, quod ubi nostra vulgata legit: *Quaesivit Dominus: Septuaginta Interpretes transtulerunt de futuro: Quaeret Dominus sibi virum, ut hinc clarius intelligeretur, quod quantumvis Deus non solum in praeritis hominibus, sed in futuris quempiam quaeret, Iosepho parem nullum inveniet. Atque hinc patet solutio ad eam difficultatem: Quare Deus, cum a principio potuisset per angelum, quem misit ad eius sponsum, divinae prolis in utero Virginis concipiendae certiorum*

illum reddere, voluit animam illius acerbo zelotypiae dolore conficere? Respondet egregie Rupertus (lib. 1. in Matth. cap. 1): *Ut manifestum fieret, tam sanctis angelis, quam nobis hominibus, de seipso, quod esset iustus, et talis, quod digne se deberet appellari: quasi dicat: ne in hac electione, quam Dominus fecit, videretur cupiam personarum acceptator; sed iuste potius Iosephum, in patrem suum legalem, et custodem elegisse: ideo ingenti illo zelotypico dolore illum probavit, ut instar auri in medio fornacis accensus, valor virtutis eius in omnium oculis clarius efflueret, manifesteque cunctis eximia eius sanctitas innotesceret, qui gravidam videns sponsum, non congereretur de illa, non increparet, non accusaret, non traduceret, non lapidandam tentaret, iuxta legem (Deut. 22). Unde sicut de Iob, ita et de Iosepho dicere licet: In his omnibus non peccavit Ioseph labris suis. Hanc praeremissum Iosephi sanctitatem ex maiore conjunctione, quam habuit cum Iesu, sapienter colligit Rupertus (praec. loc.), memor illius scilicet, quam vidit Iacob, in cuius vertice aderat Dominus innoxius, et per cuius gradus ascendebat, et descendebat angeli. Sancti, qui angelicam vitam agunt, ex propriis suis operibus meritorius gradus conficiunt, per quos ad Dominum ascendunt. Unde quanto excellentiora esse perhibentur eorum merita, tanto illi sunt in altiori gradu scilicet, et ex consequenti propinquiores Deo. Rupertus ergo postquam Iosephum constitutum esse in primo illo gradu, cui insidebat Deus: *Supremus, inquit, gradus scilicet, cui Dominus innoxius est, iste est beatus Ioseph, vir Mariae, de quo Iesus, qui vocatur Christus, natus est.* Recte ait: *cui Dominus innoxius est, cum et in itinere ad Aegyptum, et in reditu in Iudaeam, Iosephi adiutorio, et protectione initeretur, qui matrem, et prolem summo studio custodiebat, et eorum commoedias, quoad poterat, sedula diligentia consulebat. Idque plane indicant verba illa: Quaesivit Dominus sibi; ac si diceret: quaesivit illum in commodum proprium, ut explicuere d. Augustinus (in 1. Reg. 13). Illud enim latum interest discrimen inter beatum Iosephum, et reliquos omnes viros sanctos, quod licet omnes quaesierit Dominus, ut illos ad se traheret, quia ut dixit Christus Dominus (Ioann. 6): *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum;* tamen alios sanctos quaesivit ad eorum utilitatem, illorum bonum dumtaxat prospiciens, Iosephum autem non solum propter hoc, sed quaesivit illum sibi, hoc est, propriae utilitati consulens, ut ab eo protegeretur, et nutreteret, et integritatis suae matris vigilantissimus custos esset. Ut enim sapienter dixit d. Augustinus (de sanct. Virg. cap. 4): *Desponsata est Maria viro iusto, non violenter virginitalitatem ablata, sed potius contra violentos custodiatur.***

Vel alter dicamus: *Quaesivit Dominus sibi.* Tota beatissima Trinitas quaesivit Iosephum sibi; Pater illum quaesivit, ut nutriendum traderet ei Filium suum; Filius eum quaesivit in patrem suum legalem, ac Matris suae sponsum, et ut honori virginis, et nobilitati suae con-

suleret; Spiritus sanctus tandem illum quaesivit sibi, hoc est, ut per illum maiorem honorem, et nominis sui gloriam apud homines sibi conciliaret. Etenim, si rem alius percipiamus, vox haec *Spiritus sanctus* nusquam audita fuit, quousque Iosephus Virgineum in sponsam accepit: adveniente namque angelo ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, insonuit vox haec (*Luc. 1*): *Spiritus sanctus*, cum ad eam dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obducat tibi*; ad Iosephum vero, ut timorem ab eo depelleret, ait (*Luc. 2*): *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Ab hoc igitur duplici tempore insonare coepit in auribus hominum praecleara illa vox: *Spiritus sanctus*. Audita quidem fuit olim non semel appellatio haec: *Spiritus Dei*, et illa: *Spiritus Domini*; nusquam tamen in veteri testamento vox *Spiritus sanctus* insonuisse reperitur. Merito vero post Iosephum virum Mariae Spiritus Dei sanctus nominatur: quia, ut recte adnotavit Rupertus (*lib. 1. in Matth. cap. 1*): *Maxime ex hoc opere claruit hic Spiritus Domini, quia vere sanctus sit*. Sanctum idem est, quod mundum, seu sine terra; nullam autem matrimonium mundi excogitari potest, quam quod Spiritus sanctus fecit inter Iosephum, et Mariam, cum ambo virgines ex voto, et virginitatis cultores semper fuerint: proles etiam nulla mundior concipi potest, quam quae ex hoc prodiit matrimonio, et quam absque viri opera intacta mater, et virgo semper manens, ipso Spiritu sancto cooperante, concepit, et peperit. Ac tandem, quid purius, ac sanctius, non solum creatus, sed nec increatus intellectus apprehendere valuit quam stupendum incarnationis mysterium in utero sponsae Iosephi celebratum? quod quia maximum omnium fuit ardens divini amoris indicium, merito Spiritui sancto attribuitur, qui solus non solum essentialiter, ut reliquae personae divinae, sed personaliter amor esse perhibetur. Cum igitur hoc tantum opus fons fuerit, et origo omnis sanctitatis, merito ab hoc tempore Spiritus Dei, Spiritus sanctus nuncupari coepit (*Luc. 1*): *Spiritus sanctus superveniet in te*.

Quid plura? quaesivit Dominus sibi: explicamus, si placet, locum hunc per illum (*Psal. 83*): *Exaltavi electum de plebe mea*: in Hebraeo verbum illud *Ram*, ut adnotant periti illius linguae, significat exaltate aliquid ad separandum illum sibi a reliquis; unde Paraphrastes chaldaicus vertit: *severus*, alludens ad communem omnium consuetudinem, qui ea quae sibi seligant, secretum, et separant ab aliis tanquam sibi propria. Ad hunc ergo modum Dominus selegit sibi Iosephum, secrevit, et separavit illum a reliquis, tanquam propriam sui possessionem. Unde recte illi congruit, quod de patre eius legitur (*Eccles. 47*): *Sicut adeps separatur a carne, sic David a filis Israel*: non paucæ d. Iosephi encomia in his verbis latent; nam in primis sacrificium adipis in eo reliqua superabat, quod in his partim Deo, partim ministris dabatur; in sacrificio autem adipis totum in Dei honorem comburebatur, ut habetur (*Levit. 3*): *Omnis adeps Domini erit perpe-*

tuo in generationibus. Unde nec minorem eius partem volebat Deus auferri, sed totum quasi reservari: *Nec adipem omnino comeditis*; sibi diceret: haec bucella digna solommodo est regio ore meo: nemo audeat quidpiam illius sibi usurpare. Hinc igitur facile erit deprehendere, quam longo sanctitatis intervallo d. Ioseph reliquos viros sanctos antecellit. Illi sane sacrificia Deo fuerunt, quorum sibi partem tulit Deus per gratiam, partim tamen prius daemone tollerat per peccatum originale; et dum mortalem vitam agebant, caro et sanguis adversus spiritum pugnantes, quandoque victores, quandoque victi prodibant; at Ioseph tanquam adeps sacrificium fuit adipis, lotus Deo consecratus, lotus mente, et corpore Deo deditus, totus ardenti Dei amore combustus. Tradit Galeus (*lib. 2. de Natur. facult.*), pinguedinem seu adipem, licet ex sanguine originem trahat, sanguinis tamen expertem esse, *ex sanguis est cum generetur ex sanguine*. Merito sane Ioseph adeps esse indicatur inter reliquos sanctos: siquidem quamvis ex sanguine omnium illorum regum, et patriarcharum, qui in genealogia eius commemorantur, originem trahat; ex sanguine tamen prodiit, qui nunquam acquivit carni, et sanguini, nec eius oblectamentis. Quod et sacer Evangelista tacite indicasse mihi videtur: nam cum illorum regum, ac patriarcharum narrationem texens diceret (*Matth. 1*): *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*, etc. accedens tamen ore ad Ioseph, a generationis nomine, quod opus carnis et sanguinis est, continuo se abstinent, non dixit *Ioseph genuit*, quia totus erat adeps, et consequenter exsanguis, sed nominans Iosephum, solum subnixit, *virum Mariae, de qua natus est Iesus*, sic enim omnibus innotescit tum eximia puritas Iosephi; tum immaculata Christi conceptio, qui non virum Mariae genitorem, sed eam solum ab Spiritu sancto foecundatam genitricem habuisset.

Sed perge iam reliqua verba explicare: *virum iuxta cor suum*. Vir, ut cum Ambrosio omnes Latini testantur, dicitur *a vi*, seu *virtute*, unde hominem praestantem, et excellentem, *virum* nuncupamus: in quo sensu Tertullianus (*in Adelphis*) dixit: *abi, virum te iudico*: similiter etiam cum, qui fortitudine, et viribus pollet, *virum* appellare solemus. Cum ergo divus Ioseph tanta virtute, et potentia vigeret, ut supra omnipotentem dominaretur eo dominio, quod superiorum decet super inferiores, et Evangelista dixit: *subditus erat illis*; non solum vir, sed centumvir nuncupari meretur. Huius domini non infirmum argumentum fuisse censeo, quod angelus potestatem ei dedit imponendi nomen nascituro infanti: *eccebis nomen eius Iesum*: ut enim d. Chrysostomus (*de conc. sanc. Pauli tom. 3*) adnotavit: *Nominum imposito dominum testatur. Ac olim, talem fuisse morem, quod sercorum nomina mutanda sint legitimus*. Quare inter alios actus domini, quos exercuit Adam, cum illum constituit Deus dominum omnium animalium, impositio fuit nomen (*Gen. 2*): *Omne, quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius*. Olim etiam, ut nuper dicebam ex Chrysostomo, mos increbuit apud veteres, ut si quae illi eme-

rent mancipia, in signum domini nomina nova imponerent illis. Cum ergo divo Ioseph divinitus collata potestas fuerit imponendi nomen Christo Domino, et nomen *Iesus*, quod impositum, novum esset, consequens est dominum super eundem Iesum habuisse, quale superiori competit erga subditum. Vide impletum, quod inquit d. Paulus (*ad Philip. 2*): *Qui cum in forma Dei esset: ecce summam libertatem; cœcavit semetipsum, formam servi accipiens: ecce servitulem ad quam se demisit, et per quam tanquam Dominum respiciebat Deum in coelis regnantem, et Iosephum in terra degentem, qui caput erat illius sacratissimæ familiae, subditos sibi habens Iesum, et Mariam*.

Sed quid in hoc moror, cum evidentius aliud argumentum habeamus, unde clare liquet Iosephum insignem virum fuisse, cum pater Christi esse meruerit? Sic enim illum vocavit beata Virgo (*Lucæ 2*): *Pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te*. Certè Deus alios vocat, et quaerit qui moribus pueri erant, ut faciat illos viros; Iosephum vero non sic, sed iam divina gratia virum factum, illum quaesivit sibi in patrem; idque significant haec verba: *Quaesivit Dominus sibi virum*: quasi dicat: non ut faceret virum, quia iam vir factus erat, sed ut faceret patrem. Neque quicquam imminuit hanc excellentissimam patris nomenclaturam, quod d. Lucas dicat (*Lucæ 3*): *Putabatur filius Ioseph*: quia licet revera Christum Dominum non genuerit, pleno tamen ore ab Evangelista pater eius vocatur, et non falsus, sed verus pater censeri debet: nam, ut acute dixit sanctus Augustinus (*lib. 2. de consensu Ecclæ. cap. 24*): *Nasci etiam eis filius potuit sine ullo complexu carnali*; quod quia ratione intelligendum sit, in hunc modum explico: Lumine rationis nobilissimum est, non solum illum vere dici invisse, ut res fiat, qui partim rei pro duxit substantiam, sed et eum qui iuvit, ut res congrua, et debito modo fieret: licet ergo divus Ioseph generationis substantiae corporis Christi particeps non fuerit, quia tamen iuxta divinum decretum generatio illa exequutioni congrua, et debito modo mandari non poterat absque Iosepho, qui sponsalitiu suo matris, et prolis honorem protegeret, ne aliquin filium Virgo pariens, adultera, et ille spurcius putaretur, merito Ioseph censeri debet multum invisse ad Christi generationem. Bene ergo d. Augustinus (*ubi. sup.*) dixit: *Nasci etiam eis filius potuit sine ullo complexu carnali*. Atque hinc intelligitis verba illa, quae in ore omnium versantur (*Isaia 43*): *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum*. Sane unam dumtaxat nubem, Mariam scilicet, videbatur dicendam produxisse Christum; quia illa sola absque viri opera illum genuit; consulto tamen plures nubes dicuntur iustum pluisse, quia Maria, et Ioseph parentes illius erant; aliter vero, et aliter instat nubium quae non solum rorem pluit, sed et solem cooperant; Maria Christum generando, nubes fuit rorem producens, Ioseph Christum celans nubes fuit, iustitiae Solem legens. Sane si Maria omnibus innotesceret virgo pariens, nubes clara esset Sole iustitiae illum irradiante (*Apocal. 12*): *Mulier*

anicta sole. Quia tamen oportebat tunc mysterium generationis Christi celari, altera nubes opus fuit, nempè Ioseph, qui sponsalitiu suo tantum mysterium tegeret, propter hoc enim vulgus existimabat utrinque prolem esse. Atque in hoc sensu apte salis explicanda veniunt verba illa Virginitis (*Cant. 1*): *Qua decoloravit me sol*. Etenim, cum Soli iustitiae placeret in ea oculis delibescere, prius decoloravit illum, ut illa loquar, colore avoratae foeminae. Ambae igitur hae nubes, licet diversimode, pluerunt iustum: Maria substantiam rei producendo; Ioseph, ut congruo, et debito modo, hoc est, ut clam, et latentem id fieret, mirifice exemplo. Liceat mihi rem tantam caesare iuvando illustrare, in memoriam quae huiusmodi revocare, quod, ut vetus et vulgaris traditio narrat, cum olim insigne quoddam templum piorum divitum exedem a fundamentis erectum fuisset, illo eodem die, quo dedicationis illius festum agebatur, in eminentiore loco super ianuas eius haec aureis literis exarata inscriptio apparuit: *Sophia me fecit; cum rei novitate nulli permitti, diligenter exquireres: quatenam haec esset Sophia? invenit foeminam quandam pauperulam a iustis: quae interrogata, quid ad aedificium illius templi ipsa impendisset? respondit: Cum boves defatigati, et famelici veniebant, onera portantes pro aedificatione templi, ego foeni fasciculos eis portigebam ut passerent, ne virilium defecerent ad inserviendum eius aedificationi. Nunc ad rem nostram haec convertentes, Ecclesia catholica sumptuosum templum est, quod per evangelistas, doctores, et apostolos aedificatum fuit, divo Paulo dicente (*2. Cor. 12*): *Ipsae dedit quosdam apostolos, alios evangelistas et doctores, in aedificationem corporis Christi*; quamvis tamen inter hos aedificatores non connumeretur Maria, et Ioseph, illa tamen plusquam aureis literis, quia evangelicis exarata inscriptio apparet in capite libri (*Matth. 1*): *Jacob genuit Ioseph virum Mariae*: ut hinc intelligamus, Christi parentes praecipuos Ecclesiae catholicae templi aedificatores fuisse, qui bovem illum, seu vitulum Christum Dominum gravissima laborum onera pro eius aedificatione portantes, per multos annos alerunt, ac sustentarunt. Sed impetus nostro argumento inservientes, indubitanter est per templum corpus Christi designari, ipso dicente (*Joan. 2*): *Solvite templum hoc; hoc autem dicebat de templo corporis sui*. Ad huius templi aedificationem expensis magni momenti non inficior concurrisse antiquos illos Christi progenitores, patriarchas suis lacrymis, sacerdotes victimis, prophetas haereticos, et revelationibus, ac indiscriminatim omnes ardentissimis desideris; at Ioseph sublimis, et excellentissimus ad id cooperans est: ille enim sudore vultus sui, et labore manuum suarum, non boves, ut Sophia, sed foecundam vitulam Mariam, ex cuius sanguine extruendum erat sacrum illud Christi Domini templum, iuxta illud Apostoli (*ad Gal. 4*): *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Unde si Sophia, quia bonus templi aedificationi inservitibus pabulum dabat, meruit aedificari illius inscribi:*

Sophia me fecit: potiore iure Ioseph Virginem alens, quae templum corporis Christi aedificavit, aedificator illius, ac pater Christi appellari meretur. Adeo autem placuit illi Iosephum patrem habere, ut licet aliquando ab eo originem non traheret, tam similis illi in facie prodire voluit, ac si ab eo genitus fuisset. Id quod haec duo docili ingenio facile suadent; tum quod cum Deus intenderet ad celandum eo tempore incarnationis secretissimum arcanum, Iosephum putari Christi genitorem, et accommodatissimum sane medium ad id esset, similem vultu reddere Iosepho, cum huiusmodi similitudo, quae inter patrem et filium frequens esse contingit, non leve argumentum censi selet hunc esse filium huius patris: et ex alia parte, ut dixit d. Paulus (*ad Hebr. 2*): *Debit per omnia fratribus assimilari*; credendus est divino consilio in hoc assimilatus, ut vultus eius similis esset ei qui eius pater a plebe putabatur. Tum etiam quia philosophi naturales docent, experientiae non semel comperit, est, foetum persimilem concipi illi rei, quam mater dum concipit, impense cogitat; beata autem Virgo, certum est, quod tempore conceptionis Christi, in Iosephi cogitatione non leviter incidit, cum dixit (*Luc. 10*): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* evidens enim est, tunc loentem fuisse de viro suo Ioseph, non de alieno; igitur cum Christum concipiens, de Iosepho attendente cogitare, naturale erat similem vultu Iosepho filium parere.

Tandem, si ut aliis placet, vir a vincendo dicitur, nemo sanae mentis inficias mihi iubit, merito Iosephum virum nominari, qui gravissima zelyptiae tribulatione acerrime oppugnatus, adeo viriliter illam devicit, ut praemia divinitus promissa vincenti cumulatus, quam dici possit susciperet: *Vincenti*, ait Deus (*Apocal. 17*), *dabo manna absconditum, et calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit*. *Manna* istud, quod Deus pollicetur daturus, Christus Dominus est, ut divus Ambrosius exponit (*in comm. hui. loc.*); at non sicut ceteris, illud collatum est Iosepho: aliis datur est, cum omnibus patuit, et apud eos miraculis, et doctrina praefulsit; at Iosepho datum cum manna erat absconditum, et ignotum sub infantili aetate latens. Tunc datus est enim ei calculus candidus, hoc est, lapis absconditus de monte sine manibus, quem Apostolus (*ad Ephes. 2*) vocavit, *lapidem angularem, qui facit utraque unum*. Datum dicitur fuit Iosepho nomen novum scriptum, quod nemo novit, nisi qui accipit, cum dicitur est illi: *Vocabis nomen eius Iesum, cuius sane nominis mirram virtutem nemo melius percussit*, quam Ioseph: quia si Adamus perfectissime cognoscebat nomina, quae singulis animalibus imponebat; quis quae, tam mentis inops est qui dicit, Iosephum ignorasse nomen Iesu quod ex divina revelatione mentem eius irradiante Christo imposuit? Rursus (*Apocal. cap. 2*) hoc praemium promissum est vincenti: *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam*. Hanc stellam d. Ambrosius (*ibid.*) Christum interpretatur, et

quo Balam (*Numer. 24*): *Orietur stella ex Jacob*. Fateor, hanc stellam omnibus innotuisse, omnesque eius lucis, ac splendoris participes effici potuisse; hoc tamen fuit, quando in universum orbem radios suae lucis dispersit, iuxta illud (*Joann. 1*): *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ioseph autem data fuit haec stella matutinam, hoc est, matutino suae infantiae tempore, cum infantibus pannis, velut nube a Iosepho involvabatur.

Deinde (*Apocal. 3*) dicitur: *Qui vicerit, vestitur vestimentis albis*: hoc etiam praemio donatus fuit Ioseph: nam sicut in monte Thabor ex splendore vultus Christi ad vestes eius magnus candor effluxit, divo Matthaeo dicente (*c. 17*): *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix*; ita ex splendore illius matutiniae stellae, Iosephum et proximo incessanter irradiantibus eximius castitatis candor in eum emanavit. Item Ioannes subiungit (*Apoc. c. 3*): *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei*. Sane in praemium victoriae immanis illius zelypticae tribulationis, Ioseph meruit firmissimam columnam fieri, qui niteretur Maria, quae vivum templum summi Dei erat. Etenim maritus si talis est, qualis esse debet, columna oportet sit uxoris, ut Aeneae uxor eius dixit, id referente Virgilio (*2. Aeneidos*):

In te omnis domus inclinata recumbit,

His tandem omnibus praemiis accessit ultimum, et supremum (*Apoc. cap. 3*): *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius*. Hoc sane licet commune praemium sit omni vincenti promissum, illud peculiare arbitror obtinuisse Iosephum, quod scilicet Christus Dominus, in quantum homo, potioribus Patris bonis fruatur, ita et Iosephus reliquos omnes, sponsa eius excepta quae tanquam Regina adstitit a dextris eius, longo intervallo coelestibus gloriae muneribus antecellat. Hoc autem tam praeeccellens praemium non aliunde certe meruit, nisi quia vir erat secundum cor Dei, ut ultima verba indicant loci, quem explanamus: *Virum iuxta cor suum*.

Quorum verborum expositionem, ut altius repetamus, supponendum est, quod licet in Deo, quia spiritus est, nulla sit membrorum distinctio, metaphorica tamen quadam proportione ab homine sumpta, in quo praecipue effulget diversa membrorum compago, diversitatem membrorum ei assignamus. D. Paulus (*1. Cor. 11*) dixit: *Caput vero Christi Deus*: Isaias (*c. 53*): *Brachium Domini cui revelatum est*; id est, Filius Dei cui manifestatus est? David (*Psalim. 143*): *Emitte manum tuam de alto, id est, Filium carne indutum*. Ad eundem ergo modum apte satis dicimus, quod sicut Deus per Verbum suum, velut per linguam loquitur quaecumque dicit, ita per Spiritum sanctum tanquam per ipsius Dei cor diligit quaecumque amore prosequitur. Unde quemadmodum in homine cor est sedes amoris ulentis amantem cum re amata, ita Spiritus sanctus ex vi suae produc-

tionis est amor, et vinculum, et, ut ita loquar, nexus Patris, et Filii. Cum ergo Spiritus sanctus sit cor Dei, certe dum Ioseph dicitur esse vir iuxta cor divinum, *Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum*; perinde fuit, ac si diceretur, *quaesivit virum conformem Spiritui sancto, et si ita fas est loqui, quendam quodammodo sympathiam cum illo habentem*. Quod ne absque fundamento dicere videar, attendite primum, quod sicut Spiritus sanctus in illa Trinitate coelesti tertia persona est secundum originem, ita in terrestri hac trinitate Iesu, Mariae, et Iosephi, ipse tertium sibi vindicat locum secundum ordinem dignitatis; et sicut Spiritus sanctus instar cordis fons est, et scaturigo vitae, ac omnium vitalium spirituum, quibus corpus fovetur, et vivit, ita Ioseph nutriendi, et alens puerum Iesum vitae eius principium se exhibuit, et omnium spirituum vitalium, qui per varias eius corporis arterias diffundebantur. Item si Spiritus sanctus sponsus fuit virginis, eius virginitatem nunquam laedens, Ioseph sponsus eius fuit castissimus Mariam nunquam contingens; et si Spiritus sanctus Mariam divino spiramine foecundavit, ac prolem in ea produxit, Ioseph multis beneficiis cum cumulavit, ac foetum illius nutritivum. Quid plura? si Spiritus sanctus Mariam obumbravit (*Luc. 1*): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*; etiam Ioseph subventionis suae umbra illam mirifice protegit, et honoris pallio cooperuit. Deinde si illa noscuntur Spiritus sancti munera, quae catholica canit Ecclesia:

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium,

etiam Ioseph infanti Iesu haec praeslitit. Lacrymas effundebat infans,

Vagit infans, inter arcta
Couditus praesepia.

Ioseph lacrymas eius abstergebat: ecce Ioseph in fletu solatium. In medio laboriosi itineris in Aegypto milites in sinu suo illum fovens, requiem ei dabit: ecce Ioseph in labore requies. Denique cum aestu arderet, qualis valde vigeat in Aegypto, infans premeretur, flabello ad calorem temperandum ulens, dulcem ei praebebat auram, ecce Ioseph in aestu temperies.

Ad haec: sicut Spiritus sanctus paedagogus fuit Christi, a quo ducebatur quocumque ibat; unde d. Matthaeus (*cap. 4*) ait: *Ductus est Iesus a spiritu in desertum*; ita et Ioseph, quasi infantiae Christi educator, et paedagogus, in quocumque locum iurus erat, illum deferrebat, atque ducebat. Detulit in Aegyptum, et detulit in Iudaeam, duxit in templum, et reduxit in domum suam (*Luc. 2*): *Et descendit cum illis*. Unde sicut olim poetae fixerunt, quod dum Bacchus filius Iovis per orbem peregrinaretur, semper aderat ei, tanquam paedagogus, Syllenus vir senex, et sapiens; sic, dum Filii aeterni Patris per Iovem recte adumbrati, qui *Ivens pater* interpretatur, tempore suae in

fanctae et pueritiae, terram nostram incoluit, sapientissimus Ioseph, non aetate, sed sapientia senex, educator, nutricius, custos ac individuus fuit pueri Iesu in peregrinatione aegyptiaca, et alibi saepe comes.

Verum ad extremum illud recte nobis diligenter explorandum, quam recte in sanctissimum Iosephum cordis proprietates conveniant, quamque egregie dicere munera erga Christum ipse praestiterit.

Et quidem in primis si cor, ut docet d. Isidorus (*lib. Ethymol.*) dicitur a cura; quis non videat id egregie Iosepho convenire, qui in educatione Christi Domini sollicitam adeo curam gessit, ut praeterquam locum, in quo nasceretur, diligenter quaesivit, et nato mille obsequiis ei inservivit, etiam a Iudaea in Aegyptum clam illum transtulit, ne inter bethlehemiticis infantis nefarii Herodis mortuum divinitus intelligens, longi itineris labore, eundem ad patriam reduxit. In templum praeterea Ierosolymitanum duodennem secum illum tulit, et perditum, vehementer dolore quaerens, in templo invenit. Secundo, si cor iuxta se pulmone habet in illud exufflantem, ne excessivo calore accendatur; Ioseph quidem iuxta se Iesum habuit, qui ventilabro divinae suae gratiae omnem libidinis ardorem in eo penitus extinxit. Unde in illo mihi videtur implem illud (*Job 34*): *Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum, et flatum ad se trahet*. Tertio cor est in continuo motu, aut enim constringitur, aut dilatatur, quod iustus frequenter accidit: per amorem namque fatetur d. Paulus (*2. ad Cor. 6*) cor eius dilatarit: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est: et Ecclesiast. cap. 2*) iustum dilatatur, cor per timorem constringere et humiliare: *Deprime cor tuum, et sustine*; quae duo mirifice entiterunt in Iosepho, praecipue tamen cum in medio angustiis, visa uxore praegnanate a se omnino intacta, depressit cor suum per dolorem, sed mox dilatavit illud per spem, in Altissimo illam reponens, ac divinae providentiae se totum committens.

Quarto Aristoteles (*lib. 2. de Anim.*) affirmat, quod licet animalia habeant cor in medio corporis, humanum tamen cor declinat ad sinistram, ut pars illa, quae naturaliter est frigidior, ab eius calore foveatur. Non dissimiliter sanctus Ioseph, ut qui non ignoraret veram amicitiam in sinistra adversariali probari, videns infantem Iesum, et matrem eius in sinistra paupertatis, et adversarialis ex Herodiana persecutione ortae constitutus, in eam miseriae sinistram ad eos sublevandos miserius propendit. Quod si Avicennam consulamus (*libro de dif. spir. et an.*), cor duplicem habet ventriculum, dextrum, et sinistram: in illo plus est de sanguine, quam de spiritu; e contra vero in sinistro plus est de spiritu, quam de sanguine; quod non obscure significari arbitror spirituales alios duos ventriculos cordi nostro inesse, dextrum, nomen amorem in prosperitate, sinistrum vero, amorem in adversitate; inter quos amores illud interderit persimilem discrimen, quod amor in prosperitate plus habet de sanguine, quam de spi-

ritu, quia magis quaerit lucrum proprium, quam alienum; amor vero in adversitate impensus, plus habet de spiritu, quam de sanguine, quia non quaerit quae sua sunt, sed quae amici. Cum igitur beatus Ioseph in sinistra adversitatis Herodiana persecutionis ardentem ac ferventem amorem erga matrem, et prolem multiplici officio plane ostenderit, aperte relinquatur amorem eius purissimum fuisse, et ab omni carne et sanguine defaecatum.

Quinto, Nothomici affirmant in corde duas reperiri concavitates, persimiles his quae in auribus videmus, quae propterea cordis auriculae dicuntur; has ita veloces ad audiendum habuit sanctus Ioseph, ut Dei vocem per angelum in somnis et loquentem non vigilans, sed dormiens audierit, et continuo e lecto summa velocitate surrexit, et continuo e lecto summa velocitate surrexit, ut sacer evangelista Lucas testatur (cap. 2), in quo cordis sui ingenuitate non obsequi significavit, cum Galenus de corvo agens dicit, virtutem boni cordis agnoscere per velocem seu celerem actionem.

Addo his omnibus miranda quaedam portenta, quae de corde celebres auctores commemorant. Plinius (in Paphlagonia) asserit, bina corda multis periculis inesse; e contra vero ibidem refert, quod Caesar bis sacrificante, cor in victima eius nullum reperit fuit. Duo quidem saeculorum hominum extrema genera in sacris Scripturis lego; quosdam duo corda habentes (Eccles. 2): *Veh duplici corde, de quibus David: In corde, et corde locuti sunt; alios, uno eodem corde carentes, quibus convenit illud Osee (c. 7): Ephraim columba seducta, non habens cor; non sic, non sic noster Ioseph, qui inter haec extrema medium virtutis tenens, nec duplex cor admisit, cum simplex, et rectus esset, Evangelista dicente, cum esset iustus: nec uno illo corde caruit, quod enixe sibi dari postulabat David, dicens (Psal. 50): Cor mundum crea in me Deus.*

Plutarchus (in Paratellis) auctor est, Hermogenem, et Leonidam hirsuto corde repertos fuisse, quod et Plinius (libro 11, nat. histo. cap. 37) de Aristomene Menetio etiam affirmat, quod singulare prodigium fortitudinis, et magnanimitatis eorum praesagium fuisse perhibetur. Animo certe hirsuto praeditum fuisse beatum Iosephum nemo diffebitur, qui noverit, tum immanissimum zelotypiae amoris hostem viriliter superasse, omnes in se insurgentes vindictae motus imperio coercendo; tum qui non ignoravit adversus tyranni Herodis potentiam pugnasse, et illum devicisse, dum praedam infantis Iesu, quem trucidare anxie curabat, plusquam virili animo ab eius oculis abduxit, in remotissimam regionem illum transferens.

Denique illud silentio non praeteribo, quod Pierius (lib. 3, c. 4) refert, olim cor hominis faucibus appensus boni viri os designasse, qui quod in corde gerit, hoc ex ore profert. Id certe non arbitror in Iosepho desiderari, quia cum cor eius in Iesu, et Mariae amorem arderet, quid ni flammae ardentes per os eius prodirent, cum cordi amantis nihil gratius sit, quam amoris iudicia per linguam proferre?

Atque ex his omnibus facile colligo in lau-

dem pariter divi Iosephi, et in confusionem nostram, quam multum interest iter cor nostrum, et cor illius: Iosephi cor divina erat sciens, humana nesciens (Ier. 24): *Da eis cor, ut sciant me*: cor Iosephi amplum per spem (Psal. 68): *Deus cordis mei, et spes mea Deus in aeternum*: cor Iosephi divinae voluntati obedire paratissimum (Ps. 56): *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: cor Iosephi diligenti cura custoditum, iuxta illud (Prov. 4): *Omni custodia serva cor tuum, quantum ab ipso vita procedit*: cor Iosephi in camino tribulationis probatum (Psal. 16): *Probasti cor meum, et eisitasti nocte: rigne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas*: cor Iosephi in gravi illa pressura constitutum divinitus consolatum (Ps. 60): *Dum anxietur cor meum, in petra exaltasti me*: cor Iosephi flammis divini amoris exustum (Ps. 38): *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*: cor Iosephi liquefactum per compassionem (Psal. 21): *Factum est cor meum, tanquam cera liquecens in medio ventris mei*: cor Iosephi munditiae amantissimum (Prov. 22): *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem*: cor Iosephi a peccatis alienum (Eccles. 3): *Sapienter cor, et intelligibile abstinebit se a peccatis*. E contra vero, prob dolor, cor vestrum perversis cogitationibus est plenum: *Cor tuum meditabitur perversa*: cor vestrum multiplici malitiae lahe inquinatum (Psal. 49): *Cor tuum abundavit malitia, et lingua tua concinabat dolos*: cor vestrum superbia intumescens instar regia Nabuchodonosor (Judith 1): *Exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et elevatum est cor eius*: cor vestrum prae libidine lascivius (3. Reg. 1): *Depravatum est cor eius per luxuriam*: cor vestrum absolute rectitudine erga Deum (Psal. 77): *Cor autem eorum non erat rectum cum eo*: cor vestrum per odium, et rixas divisum (Osee 10): *Divisum est cor eorum, nunc interibunt, divisum quidem a proximo, divisum a Deo; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VIII.

Cum Christus Dominus per fugam recedere voluisset a facie Herodis, variae assignantur causae quare in Aegyptum potius, quam in aliam regionem dederit. Ex professoque ad id explicantur verba illa Isaiae: Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius.

Neminem ignorare arbitror d. Pauli (ad Rom. 12) sententiam asserentis: *Non plus sapere, quam oportet sapere*; huius tamen sententiae minime me refragari putabo, sed pium potius, ac religiosum munus suscipere, si humilis ac submisso animo rationes inquiram, ob quas Christus Dominus in Aegyptum potius, quam in aliam regionem profectus elegerit. Priorem certe fugiendi in Aegyptum causam divinum elo-

quium Matthaei disertis verbis edocuit, dum (cap. 1) asserit fugisse, ut impleretur quod dictum est per prophetam: *Ex Aegypto vocavi filium meum*; qui valeat potuisset similiter Evangelista addere, ut impleretur etiam quod dictum est per Isaiam (c. 19): *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie eius*. Quem locum intelligendum esse de Christo Domino, qui Aegyptum ingrediens falsorum Deorum cultus exerminavit, pariterque eorum statuas ligneas, lapideas, aereas, et similes, virtute divinitatis sub carne latentis, potenter contrivit, tradunt gravissimi Ecclesiae Patres, d. Chrysostomus (hom. 2. imperf.), s. Anselmus (sup. c. 2. Matth.), s. Bonaventura (in vit. Christi c. 21), s. Athanasius (de incarn. Verb.) s. Cyrillus Ierosolymitanus, s. Antoninus (1. par. c. 1. § 4), Eusebius (lib. 6. de demonstr. c. 20), Procopius (c. 19), Druthmarus (sup. c. 2. Mat.), Nicolaus de Lyra (sup. c. 19. Isaiae), Magister sententiarum, Dionysius Carthusianus (ibid. q. 68. et 61. in c. 2), Abulensis (de fuga Christi), et alii. Unde iuxta eorum mentem duo nobis praestare oportet ad huius loci intelligentiam. Primum, quam apte per nubem Deipara Virgo intelligatur comprobare. Secundum, per simulacra commota non solum intelligi idololatram ab Aegypto exterminatam, sed et materialia ipsa idola ad ingressum eius sensibiliter cecidisse.

In primis apposite satis praecitato Patres nubem Deiparam Mariam intellexisse, multa quae naturales philosophi de nubis natura, et conditione edocent, aptissime monstrant. Nubes generatur ex vaporibus marinis, aut terrenis virtute caloris attractis, et condensatis, quorum amittitur in dulcedinem virtute eiusdem caloris commutatur: non secus B. Virgo, licet genita fuerit a parentibus peccati lahe originalis aliquando infectis, in formatione tamen huius sacrae nubis omnis originalis peccati amaritudo in dulcedinem iustitiae originalis Virgini collatae commutata fuit. Vel aliter: in partu, et in morte nulla unquam fuit foemina, quae doloris amaritudine non cruciaretur, haec tamen amaritudo in Virgine conversa fuit in summam dulcedinem, cum et sine dolore laelabunda pepererit, et absque angustia, immo cum ingenti gaudio et vita discesserit. Nubes a terra est elevata, et licet de terra aut mari generetur, in terra, nec in mari non moratur, et quanto elevatior est, tanto minor apparet, quanto vero terrae vicinior, tanto maior esse videtur: sic sane Deipara Virgo licet in terra fuerit nata, in caelo tamen erat conversatio eius, et quanto amplius in coelum elevabatur, tanto magis de se humiliter sentiebat, ancillam se vocans (Luc. 1): *Ecce ancilla Domini*; unde ad celsitudinem maternitatis Dei evehi meruit. Nubes terram foecundat, aestus ardorem mitigat, et coelestem aerem generat, ut libro de proprietatibus rerum legitur, ita beata Virgo Ecclesiam catholicam continuis donorum suorum imbribus irrigat, et foecundat, unde egregie noster Bernardinus (sentent. par. 9. Mariarum ser. 3) de ea dixit: *Est enim fons paradisi, qui universam terram irrigat, et in qua-*

*tuor capita dividitur, quia quibusdam dat virtutem prudentiae, ut sibi praevideat a periculis futuris; quibusdam virtutem iustitiae, ut Deo satisfaciens de offensis praeteritis; quibusdam virtutem fortitudinis, ut sint constantes in adversis; quibusdam vero virtutem temperantiae, ut sint abstinentes in prosperis. Quae, modo quidem etiam nubes interposita inter coelum, et terram excessivum calorem temperat; ita interponens se beata Virgo inter Solem iustitiae, et terrenos peccatores, divinae iustitiae et iracundiae fervorem mitigat, et Deum ipsam ad misericordiam flecit. Deinde, sicut nubes pulchrum, et perbellum aerem concipit, igneo, viridi, ac coelesti colore insignitur; ita immaculata Virgo pulchrum aerem Christum Dominum speciosum prae illis hominum conceptis, et peperit tribus illis coloribus instar aetheris arcus distinctum: nam sic, ut d. Paulus ait (ad Heb. 12): *Deus noster, iugis consensus est*, igneo colore carere non potuit: et cum caro eius virgineae puritatis virore niteret, adeo ut nec viva unquam emarcuit, nec mortua faecere potuit, iuxta illud Davidis (Ps. 15): *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; manifestum est huic superno arcui viridem colorem non defuisse: et rursus cum Paulus (1. Cor. 13) Christum Dominum vocet hominem de coelo coelestem, et Patris splendorem; minime in eo coelestis color, et splendor desiderari poterit. Deinde quemadmodum nubes est solaris radiis susceptiva, ut ita loquar, et tamen radius, qui in ipsa nube se incorporat ipsam penetrans, et ab eaiciens non scindit, nec illum dividit; sic B. Virgo Filium Dei in visceribus suis suscepit, et carnis illum induit, ac sine virgine sigilli divisione aut violatione peperit.*

Ad haec de nube philosophi aiunt, esse concavam, et instar spongiae cavernosam; et ideo ad coelestes influentias recipiendas aptior; sic beata Virgo per profundam humilitatem concava esse perhibetur, et ratione huius humilitatis prae ceteris omnibus ad coelestes divinum charismatum influxum recipiendum aptior inventa est. Ac tandem Deipara Maria nubes dicitur, quia per eam Deus pluviam illam immisit in terram, quam antiqui illi Patres instanter petebant (Isai. 45): *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustitiam*: vel quia divinae gratiae pluviam in sterilem, et foecundam peccatorum terram frequenter pluit, ut dixit Ambrosius (1 de inst. Virg.). Vocavit autem beatam Virgineam Isaias non solum nubem, sed levem, quia ut d. Hieronymus (sup. c. Isa.) adnotavit, levis erat, quatenus virili semine pergravata nunquam fuit: vel quia, ut tradit Procopius, nullum habuit pondus pectus, nec fomitis, aut inordinate passionis: vel certe quia super omnia haec terrena volabat. Atque hinc est quod sicut ratione levitatis, et agilitatis quae pollet nubes, vento impulsae facile movetur; ita Deipara Virgo illius misericordiae omnino experta, de qua Sapiens (Sup. 9): *Corpus, quod corruptumvir, aggravat animam, et terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitantem*, iuxta quod et August. dixit (1. Conf.): *Quoniam tui plenus non sum, ideo mihi onus*

sum, facile Spiritus sancti aura illam afflante, et impellente movebatur, prout in itinere ad Aegyptum satis compertum est, cum non aliter quam angelico oraculo id momente, in Aegyptum profecta fuerit (Matth. 1): *Accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum*. Unde sicut olim, prout (Ezod. 14) legitimus, nubes quaedam filios Israel per diem protegens a sole, et nocte illuminans eus ducebat, et viam ostendebat per desertum; ita b. Virgo instar lucidissimae nubis praecensit duxit, et reducti per desertum non filios Israel, sed filium unigenitum Patris, et creatorem coeli, et terrae. Vel dicamus, quod sicut Iesus grandior factus ad ascendendum in coelum mih, instar vehiculi, usus est, iuxta illud Davidis (Ps. 113): *Qui ponis nubem ascensum tuum; ita cum infans exul abili in Aegyptum, beatam Virginem lucidissimam nubem sui gestatricem habuit, in Aegyptum illum ducentem, prout indicant proposita Isaiae verba (c. 19): Ecce ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Aegyptum*.

Sed iam sequentia verba explicemus: *Et commovebunt simulacra eius*: quod non aliter praeslabimus, quam assignando rationes, his verbis insinatas, ob quas Christus Dominus in Aegyptum potius quam in aliam regionem profectus voluerit. Prima, et praecipua est, id idolorum cultum, qui summa superstitione ibi vigeabat, penitus extingueret; id quod sibi voluit verba prophetiae (Isai. c. 19): *Et commovebunt simulacra eius*: hanc assignant Patres omnes a me supracitati, quorum testimonia omnia minime refreram, contentus eorum indicasse loca, nonnulla tamen graviora, et utiliora silentio praeterire non debui. Cetera aurea d. Thomae (in c. 2. Matth.) sic habet: *Quare in Aegyptum? Recordatus est enim Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Aegyptum, ideo mittit Filium suum in eam, ut det illi magnas reconciliationis signum; ut decem plagas Aegypti una medicina sanaret; ut populus, qui ante fuerat persecutor populi primogeniti, custos foret filii Unigeniti; ut qui illi violenter dominati sunt, isti eum devotione servirent; ut iam non irent ad mare rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas baptismatis cificandis. Origenes presbyt. (in idem Ezod. hom. 3. in div.): Surge et accipe puerum, non tuum puerum, sed hunc puerum, cui obsequando Pater testimonium perhibuit dicens: Hic puer meus dilectus est, in quo bene complacuit anima mea. Hunc dicit puerum accipe, per quem Reges regnant, et potentes administrant iustitiam, per quem sapientes magnificentur, et principes possident terram. Hunc puerum accipe, et matrem eius, non tu huic puero pater, sed haec sola Virgo huic puero mater: non indiget patre super terram, incorruptibilem enim habet patrem in caelis; non indiget matre in coelis, immaculatam et custam habet in terra. El paulo post: Sine patre super terram, sine matre in coelis, sine patre secundum corpus, sine matre secundum deitatem, sine patre in sinu Virginis in novissimo tempore, sine matre in sinu patris ante omnia saecula. Fuge nunc in Aegyptum, ait. Quare in Aegyptum? propter*

multitudinem, quae ibi est idolorum, abominatiorumque multarum. Fuge in Aegyptum, propterea ut destruantur manufacta eorum, ut confringantur, et pereant idola ipsorum; propterea ut daemones turbentur, et regum fabricae idolis destruantur, ut fiat in adventum Domini fugitivorum servorum, atque malorum interitus. Fuge in Aegyptum, ut adimpleas quae dicta sunt, Ecce Dominus sedet in nube pusilla, et venit in Aegyptum, et commovebuntur omnia manufacta Aegypti. Ecce Dominus sedet in nube pusilla, carnalem animam non habente, nec aliquam peccati gravitatem. Nubes enim in aera elevatur, atque levitate sui in alta dirigitur, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus in ore eius.

Eusebius Emis. (in cap. lu. Ev.) de Christi fuga sic loquitur: *In Aegyptum fugere iubentur, ubi Abraham, et Jacob, et filii Israel peregrinati sunt: hoc enim propheta praedixerat, dicens: Dominus ascendit super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et corruent omnia simulacra eius: nubes enim levitatis, et nullius corruptionis pondere gravis est Virgo Maria. Quare in Aegyptum Christum portavit? ut lux in tenebris luceret, et populus, qui sedebat in tenebris, lucem magnam videret. Euthymius eliam (sup. cap. 2. Matth.) haec scripsit: *Ex Aegypto vocavi filium meum, simul etiam quia Babylonia, et Aegyptus maxime erant officinae ad flammam omnis vitii, quod per orbem sparsum erat: ab illa ergo Magos attraxit, in hanc cutem intravit, utramque volens ad rectam viam reduci. Ac tandem d. Leo Papa (serm. in Epiph.) ille Christum fuisse ait in Aegyptum, ut hebraeae gentis antiqua canabula repeteret, et principatum veri Joseph maioris praesidentiae potestate disponeret, et famem, quae Aegyptiorum mentes cordalis inopia laborabant, veniens de coelo panis vitae civibus rationis auferret, nec sine illa regione parvaret singularis hostiae sacramentum, in qua primum occasione agni salutiferum signum crucis, et pascha Domini fuerit praefornatum. Olim exorta fame tanta cura Dominus populum Israel servavit, ut in Aegyptum confugere lecerit, atque illa fuga Aegyptum ipsam honoraverit, et Israelitis vehementer multiplicaverit, atque ditaverit: Intravit Israel in Aegyptum, ait David, et Jacob accola fuit in terra Cham: et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos eius. Eodem modo noster divinus Iacob animarum Aegypti cupidus, et ut earum tenebras illuminaret, errores depelleret, idola et simulacra tolleret, veramque fidem, ac religionem statueret, et christianum populum conderet in Aegypto, auge-ret, atque ditaret, mirabile mysterio potius, quam metu in Aegyptum fugit, ut haec, et alia mirabilia, et magalia faceret in ea. Vide autem quod olim dixerat Dominus ad Iacob (Gen. 46): *Descende in Aegyptum, et faciam te in gentem magnam, ego descendam tecum, quasi diceret: Ego quoque tecum descendam opportuno tempore in carne tua homo factus, ut sim in Aegypto in salutem, et producam in eam gentem sanctitatem, et virtutibus magnam. Implevit sane Christus Dominus hanc pollicitationem, cum infans manibus matris suae gestatus descendit in Aegyptum: (lib. 4. Reg.) legitimus,***

quod Elisaeus admoovit Sunamitidem, cuius hospes erat, et cuius filium mortuum sua oratione ad vitam revocaverat, ut famis tempore fingeret cum filio suo: non secus Spiritus sanctus, qui perpetuo hospes erat beatae Virginis, et cui absque detrimendo suae integritatis non oratione, ut Elisaeus, sed propria virtute obumbrante filium dederat, admoovit ut Herodis persurgente saeviente in tanta etiam animarum famigatione, qua puer Iesus premebatur, fingeret in Aegyptum, ut ibi expleret, et satiaret eam. Satisfavit quidem, quia pene innumeram animarum multitudinem lucratus fuit, ut Origenes, et Chrysostomus adnotarunt: nam Origenes (hom. in div.) inquit: *Fuge in Aegyptum, inquit angelus, ut fugiant de Aegypto quae ibi sunt daemones: ut habitent ibi angeli sancti, qui Deum consequuntur, qui sanctis iunguntur, ut pro multitudine templorum, atque abominantium, multitudo exuberet ecclesiarum, pro vitis, et erroribus multis, multa castitas, sanctitas, et virginitas superabundet. Chrysostomus autem (in Bab. mart.) haec scripsit: *Apollo Dophneus ob martyres illius cineres proximos contulit, ita in Aegypto successiva benedictio praesagebat, ut quo magis olim Hebraeos persequuti fuerant, eo tandem magis amplecterentur Christianos. Quis enim, si Thebaidem, et universam Aegyptum quaedam florante christiana religione constitit, expendat, non in illa eremitarum, et poenitentium multitudinem, et pietatem admiraretur quid? quod tot insignes viros protulit, Paulum eremitam, Antonium magnum, Macharium celebrem, ceterosque, quorum acta ex Theodoro, ex Theophilo, et ex Palladio in historia Lusitica, reliquisque antiquis ecclesiasticis historiae petere possumus.**

Idem tandem d. Chrysostomus latus hoc argumenti genus ibi proseguens, haec eloquenter edixit: *Si quis ad Aegypti veniret eideret eremum, paradiso prorsus omnem illam videret eremum digniorem, et immarabiles angelorum coetus in corporibus fulgere mortalibus, et populos martyrum, et choros virginum, et omnem quidem tyrannidem dissolutam, Christi autem regnum coruscans, et illam magorum quandam, ac philosophorum parentem, cunctarumque huius generis artium reperitrem, quaeque etiam ceteris propria inuenta tradiderat; videbit modo piscatorum magisterio gloriantem, et contemptis omnibus iam illis, repudiatisque doctoribus, publicanos ubique, ac sutores pellium circumferentem, atque ad maxiram fidei suae gloriam crucem Domini praeferentem. Et haec omnia bona non in uribus solum, sed etiam in desertis florerent locis: erat enim mirabile cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, et admirabilem illum regium gregem, virtutumque coelestium conversationem in terris micantem; atque haec non in viris solum, rerum etiam in foemina splendere conspicias. Nam illae quoque non minori quam viri virtute decorantur, non clypeo arrepto in equum insilire calentes, ut honestissimi illi, ac sapientissimi gentium iuvent magistri, sed multo certe vehementius bellum gerentes. Communis enim illis, ac viris adversus diabolum pugna est, contraque huius mundi potestates, nec usquam teneritudo sexus his con-*

gressibus impares facit. Non enim natura corporis, sed voluntate animi exerceatur ista certamina. Voluptate saepe in huiusmodi acie fortius viris foeminae decertant, ac trophies insignibus claruerunt. Non ita variis astrorum choris coelum refugit, ut Aegyptus innumeris monachorum, ac virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis. Si quis illam Aegyptum veterem norit rebellem Deo, ac magnitudine superperitionum furentem, adoratam irrationalibus animantibus, porcos etiam, ceapasque colentem; hic optine Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tan admiranda mutatio; haec d. Chrysostomus.

Confirmat doctrinam hanc, et intelligentiam propositi loci Isaiae, quod postquam dixerat (c. 19): *Et commovebunt simulacra Aegypti a facie eius*, statim subdit: *Et cor Aegypti tabesceat, vel ut alia lectio habet, defectet. Sicut enim David ex affecta devotionis in Deum dicebat (Psal. 72): Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei; ita defectit cor Aegyptiorum ab infidelitate, et ab idolorum cultu, cui antea vacabat. Addit deinde Propheta (Isai. 19): *Et concurrere faciam Aegyptios adversus Aegyptios, et vir pugnavit contra fratrem suum, et contra amicum suum: ecce iam evangelicam vitam in Aegypto inchoandam praedicit auctore infante Iesu cum Maria, et Ioseph sociis illius perfectissimi status evangelici, de quo in evangelio postea dixit (Matth. 10): Non veni pacem mittere, sed gladium: quod iuxta intelligentiam Hieronymi (sup. Mich. c. 7), et Gregorii Nazianzeni (orat. 39. quae est in sancta lum.), et iuxta expositionem Nicetae Cretenensis, et aliorum Patrum, significat divisionem futuram hominum in terra per gladium evangelii, et sermonis fidei, cum separabitur pater fidelis a filio infideli, et filia a matre, nurus a sorore, ita ut pro amore Christi, et fide eius, si opus sit, filius consurgat adversus patrem, et filia adversus matrem, et inimici fiant ad invicem, et contra se mutuo pugnent, et frater tradat fratrem in mortem, et pater filium, sicut contigisse in Ecclesia saepe legitimus propter confessionem nominis Christi, et eius amorem.**

Prosequitur Isaia (c. 19) dicens: *In die illa erit altare Domini in medio Aegypti, titulus Domini iuxta terminum eius erit in signum Domini exercitus in terra Aegypti. Albertus magnus (de fuga Christi) refert, ab Aegyptiis dictum fuisse altare Igneo Deo, qui idola prostravit, et sanavit plagas eorum, et tunc impletum fuisse vaticinium hoc Isaiae, in die illa erit altare Domini. Verum d. Augustinus (lib. de unit. Eccl. cap. 14) per illud altare intelligit Ecclesiam Christi, quae in terra Aegyptiorum per tot annorum curricula mirabili evangelicae vitae perfectione per sanctos illos patres eremi incolas Christo Domino inservivit: ibi erat altare Domini, in quo ab eis sacrificia Deo offerbantur, et holocausta tan corporum per continuationem eorum macerationem, quam cordium per miram obedientiam, et continuationem amoris, et contritionis flammam, sacrificium enim Deo est, ut dixit David (Psal. 50), spiritus contribulatus, cor contritum, et humilitatum. Ibi erat etiam titulus Domini, hoc*

est, signum sacrum crucis in sanctis illis re-
fibus, qui cruce Domini gloriabantur, et
quibus mundus crucifixus erat, et ipsi mun-
do. Vere sicut David ante praedixerat (Psal.
77): *Posuit in Aegypto signa sua, et prodigi-
a sua in campo Taneos. Signa erant Aegyp-
to tot ecclesiae, templa, ac monasteria, in*
quibus relucent evangelicae vitae religio,
*ac perfectio apostolica. Prodigia vero dixe-
rim sanctos illos Aegypti, qui vere sanctitalis*
*prodigia stupenda fuerunt, his enim nomi-
nibus solius esse sanctos appellari, testis est*
David, qui de se ipso in virum perfectum iam
mutato dicebat (Psal. 70): Tanquam prodigium
factus sum multis; testis Isaias (cap. 8): Ecce
ego, et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in
signum, et portentum; testis tandem d. Ignatius
(epist. 1. ad d. Iohann.), qui beatissimam
Virginem Mariam appellat Coeleste prodigium,
*et sacratissimum monstrum. III ergo sancti Aeg-
ypti habitatores, solitariae vitae, et regularis*
observantiae amatissimi, prodigia Ecclesiae
miranda, et stupenda orbis miracula fuere, et
*vivae imagines vitae Christi Domini, qui pri-
mus fundator extitit Ecclesiae, et religionis Aeg-
ypti. Quamvis enim teste Cassiano (lib. 2. de*
institut. monach.), post Christi ascensionem in
coelum, Marcus evangelista primus fundavit
Aegypti ecclesiam, et christianam religionem in-
stituit; dubium tamen non est, quin Christus
Dominus fuerit in Aegypto fundator ecclesiae
primus, simul cum Maria, et Ioseph sociis fug-
ae, et peregrinationis eius (Psal. 86): Ipse
funderit eam Altissimus: suae fundamenta scis
posuisti, ut postmodum aedificatio constructa cre-
sceret in illos sanctos viros, et magnos, et
compleret quod paulo antea dicebam pollicem
fuisse Deum patriarcae Iacob, faciam te
in gentem magnam. Itaque cum duae praecipuae
nationes idolorum cultu, et variis superstitioni-
*bus reliquas omnes longe antecellerent, Aeg-
yptus scilicet, et Babylon, ut adnotavit d.*
Chrysostomus (homil. 8. operis imperf.), volens
Christus Dominus ostendere se venisse, ut idola-
latrarem, ac diabolicas superstitiones exterma-
ret, paucis diebus post ortum suum, tres reges
Magos fidei magistros iam factos, misit ad
Babylonem, ipse vero in Aegyptum venit, et
omnem illam regionem suo adventu saceravit, et
de infidelitatis tenebris in fidei catholicae
lucem eam transferret. Et quidem cum primus
agnus paschalis fuerat occisus in Aegypto,
causa occisio lypus erat admissum adumbrans
occisionem immaculati Agni Christi Domini in
Cruce immolandi per redemptionem generis hu-
mani, merito ut ostenderet se esse hunc agnum,
qui phase, idest transitus interpretatur, quia hic
fieri debebat, a tenebris Aegypti ad lumen Ec-
clesiae catholicae, transferendo illos ab incred-
ulitatis caligine in admirabile fidei lumen,
merito inquam, ut id ostenderet, Aegypti in-
cola fieri elegit.

Ceterum ut huius mirabilis phase, seu transi-
tus excellentia ingressu Christi in Aegyptum
facti magis effulgeat, breviter ostendam quan-
tum idololatricae pestis per omnem illam regio-
nem tunc grassaretur. S. Cyrillus (sup. Isa. 1.)
ait: *Aegypti prae aliis superstitionissimum, delu-*

bra passim, et simulacra infinita habebant, a-
doraverunt volatilia, et pisces, et capram, et o-
venem; et vitulus ab illis in honore habitus est.
S. Hieronymus (in cap. 1. Isa.): In tantam stu-
lilitatem Aegyptios venisse, ait, ut non solum
accipitres, noctuas, et hircos colerent, sed et sti-
lidos asinos adorarent. D. Augustinus addit non
solum animalibus, sed et caeparum plantis di-
vinum honorem praestitisse: immo, ut alii DD.
narrant, multa etiam inaniamata, ut solem, lu-
nam, et ignem tanquam Deos venerabatur.
Ad hanc tantam idololatricae abominationem a-
bolendam, ac penitus eradicandam, et in veri
Dei religionem, et cultum commutandam Chris-
tus Dominus in Aegyptum venit. O admirabi-
lis commutatio dexterarum excelsi, ut gens, quae
prius persequeretur populum primogenitum
Dei, postea fieret custos Unigeniti Dei; et quae
infidelitatis caecitate obscurata erat, fidei lu-
mine sit illustrata; et quae peccati labe ma-
culata vixerat, gratiae nitore sit decorata; et
quae tandem inferno instar Pharaonis, et eius
exercitibus in mari rubro demergenda erat, nunc
aqua baptismi abluta, quibus peccata suffocantur,
iam in aeternum vivat. Haec tam porten-
tiosa mutatio dexterarum fuit, hoc est, digna dex-
tera Dei, Christo scilicet, qui dextera Dei Pa-
tris est, per quem fecit et saecula, ut ait Apo-
stolus. Haec considerans d. Athanasius (lib. 1.
de incarn. Verb.) erudite dixit: Quis istorum
aut regum in Aegyptum descendit, cuius descensu
Aegyptiorum idola manufacta corruerunt? Abra-
ham nempe illic descendit, sed tamen ad ingressum
eius idolorum minime cultura quietit. Abra-
ham nempe illic natus est, nec tamen fecere impietas,
cultusque sacrilegus destitit; nunquam alias Aeg-
gyptiorum quietit impietas, nisi cum Dominus
omnium corpore illic descendit ac nunc devotus,
profigatque errore idolorum omnes ad se,
et per se ad Patrem transtulit.

Hucusque ostendimus per verba illa Isaiarum
Simulacra Aegypti commovebuntur, intelligi si-
mulacrorum, et idolorum cultum, ac falsam
Deorum religionem, quae in Aegypto domina-
batur, per ingressum Christi in illam regio-
nem penitus esse abolendam, et exterminan-
dam; nunc ostendimus non solum id intelligi,
sed etiam materialia simulacra, aerea, lignea,
vel lapidea Christo Domino in Aegypto in-
grediente de loco suo commota in terram corru-
isse: si enim idolum Dagonis, olim in varias
partes contrafractum ad ingressum arcae Domini
in templum illius cecidisse legitur, quanto
magis par erat ut ad ingressum in Aegyptum
Filii Dei in carne humana per arcam illam fi-
gurata, idola corruerent? id quod sacer textus
non obscure indicat: nam ubi nostra vulgata
legit, *simulacra Aegypti commovebuntur, Septu-*
aginta Interpretes translulerunt: Movebuntur ma-
nufactura Aegypti, et Vatabulus, movebunt se ad
adventum eius, idest, prosternerent se ad ingres-
sus Christi: quia si audito eius nomine com-
pelluntur genuflectere, ut ait d. Paulus (ad
Phil. c. 2), quanto magis ipso praesente? Haec
autem intelligentiam sustinerent praedicta Isaiarum
verba multi Patres, et antiqui doctores tradidere.
In primis Nicephorus (lib. 10. histor.), loquens
de arbore, quae adventum Christi ferre non

potens, se inclinavit, inquit: Ego vero arbitrator
arborem hanc Graecorum moribus ab illis inco-
litis divino honore cultam, tunc commotam esse
daemone, qui per eam colebatur, echorrhescens
ad praesentiam eius, qui aboliturus, et oppres-
surus eos omnino fuerat; sed tunc quoque cun-
cta Aegyptiorum simulacra defuxere Christi non
ferentia adventum, iuxta id, quod de eis ab I-
saias est dictum. Porro daemone ex arbore illa
pulso, ad certum rite certae indicium prona, et
inclinata permansit, fide accedentes sanans. So-
zomenus (lib. 5. histor.) de eadem arbore verba
faciens ait: *Quae quidem si quid ego iudico, vel*
significabat Christum iam in orbe esse, vel, ut
verisimile est, non modo arborem, quam incolae,
propter magnitudinem, et pulchritudinem lege gen-
tilitatis venerabantur, daemone iam, qui ibi cole-
batur, ob Christum laticum verum everesorem, qui
eo in loco comparabat, perhorrescente sua sponte
commotam esse. Magister (histor. de fuga Christi)
agens ait, quod sicut egrediente populo Hebraeo-
rum ex Aegypto nulla fuit donus, in qua non
inceret mortuus, ita ingrediente Christo ibidem,
nulium fuit templum, in quo non idola corru-
erent. In historia Lausica in vita sancti Apo-
lunii Abbatis refert Palladius (cap. 52) memo-
riam proditum esse in eadem civitate Hermo-
poli extare templum, in quo, ingresso Salva-
tore, omnia idola prostrata, comminutaque sunt.
Procopius deinde (sup. dict. loc. Isa.) hoc indi-
cet dicens: Cum Dominus in puerili aetate in
Aegyptum devectus est, ineffabili potentia con-
frigit idola. Lyranus (in Isa. 19): Ingredientem Do-
mino in Aegyptum, simulacra corruerunt, ut di-
citur in scholastica historia, in signum destructio-
nis idololatricae per praedicationem evangelicam.
Dionysius Cartusianus (in cap. 19. Isa.): Cor-
ruerunt Aegypti idola: propter Christi praesen-
tiam, quam ferre non poterunt, quemadmodum
Dagon idolum corruit. Abulensis autem (q. 6.
sup. cap. 2. Matth.) ait: Omnia simulacra Aeg-
gypti sensibilibus nota fuisse, in quantum tre-
centa seceaginta quinque corruerunt, quae for-
san erant omnia idola Aegypti, ita ut non es-
sent plura nomine differentia, licet essent alia
ab eis numero diversa: et subiungit, quod cum
hoc factum nunciatum esset Aphrodisio principi
sacerdotum, venit in templum cum omni suo e-
xercitu, et postquam accedens puerum Iesum a-
doravit, conversus ad exercitum dixit: Hic nisi
esset Deus Deorum nostrorum, coram eo non se
prosternerent: nos ergo quod Deos nostros facere
vidimus, nisi caute fecerimus, omnes sciet Phae-
ro periculum incurremus.

Eidem sancti Patris sententiae adstriplatur:
nam d. Anselmus (in cap. 2. Matth.) ait: *De fu-*
ga praedicit Isaias: Ecce Dominus ascendet in
 nubem levem, et ingreditur Aegyptum, et move-
bunt simulacra eius, quod factum est: nam Do-
mino intrante Aegyptum idola templorum corru-
erunt. D. Bonaventura (de vita Christi cap. 12)
similiter ait: Cum in Aegyptum intrarunt Chris-
tus, Virgo, et Ioseph, omnia idola ipsius pro-
vinciae corruerunt, sicut per Isaiam fuerat pro-
phetatum. D. Dorotheus martyr (in Synop.) haec
*habet: Ieremias signum dedit sacerdotibus aeg-
yptiacis, quod oporteat simulacra eorum concuti,*
et decidere per sercatorem puerum ex Virgine na-

scitulum, et in praesepe iacturum, propterea
etiam nunc Virginem in lecto infantem praesepe
collocant, et adorant: et cum causam olim Pto-
lemaeus rex percontaretur, responderunt Myste-
rium esse ipsius a maioribus traditum, quod illi a
sancto propheta acceptum. Idem tandem tradit
d. Cyrillus Hierosolym. (Catech. 10), d. Anto-
nius (1. parte titul. 5. c. 1. § 4), cardinalis Igo
(super Matth. 2), Ludolphus (de vita Christi), E-
ecabius (lib. 6. de demonst. Eecab. cap. 20), Pro-
copius (super Isa. 19), Drulthmarus (in c. 2. Matth.),
et multi etiam moderniores. Quare miror fan-
senium in sua concordia hanc opinionem tan-
torum doctorum testimoniis constabilitam, aut
suum fuisse fabulam appellare. Et quid quae-
som mirum in Aegypto id contigisse, cum et
Augusto Caesari seiscritanti a Pythia, quis post
se regnaturus esset? ut scribit Suidas palam,
responderit:

Me peru hbraets diuus Deus ipse gubernans
Celeres sedet inbet. tristemque depellit ad Oream,
Aris ergo delinae tacitas ascendit nostris.

Porro reliquum est, ut celeras mysticas ra-
tiones fugae Christi in Aegyptum brevi ser-
mone iam apponamus. Fugit certe Christus
Dominus, quia absterularet olim Deum omnia
primogenita Aegypti in egressu filiorum Israel,
nunc vero et resiliens primogenitum suum
per omnibus illis praebuisti. Percusserat Aeg-
yptum plagis multis, nunc medicinam praes-
tulit omni malo: percusserat eos tenebris, nunc
solum suum super eos oriri facit quo tenebrae
pellantur. Deinde fugit Christus, ut sequeretur
vestigia sanorum maiorum, hoc est, qua-
tuor praecipue patriarcharum, quibus fuerat
promissus ipse Christus, et qui eius gesserant
figuram, qui omnes ex Iudaea fuerant in Aeg-
yptum, nimirum Abraham, Isaac, Iacob, et
Ioseph. Rursus fugit, ut hac ratione signifi-
cicaretur regnum Dei transferendum esse ex Iu-
daeis ad gentes. Moyses in effugeret Phara-
onem, fugit ex Aegypto versus Iudaeam: Chris-
tus ut fugiat Herodem, tendit ex Iudaea in
Aegyptum, per quod significabatur aliquando
fore, ut propter Christum Aegyptus fieret ve-
ra Iudaea, recepta fide Christi propter multos
insignes martyres, et confessores, qui ibi fu-
turi erant. Ad haec fugit Christus Dominus
iuxta mentem d. Augustini (1. 2. de Symb. ad
Cathec. c. 5), et innocentes occidit permisit, ut
Hebraeos deserendo, et propriis filiis privando
parentes illorum puniret: verba eius sunt haec:
Lugentis lecti Iudae filios vestros, atque plan-
gatis, non illi moriuntur qui a vita suscipiuntur.
Vobis irrogatur poena orbitalis, ceterum ill-
is gloria offertur immortalitatis. Nuntiasis He-
rodi, ubi occidendis inveniri posset Filius Dei,
sed ille filios vestros occidens pro Filio Dei, et
eos orbitalis poena nesciens punit tanquam pro-
ditores, et filios vestros Dei facit haeredes. Sic
vos irridebat ille, qui habitans in coelo ineebat
in terra. Qui habitat in caelis, irridebit eos, et
Dominus subsannabit eos; cui sit honor et
gloria in saecula saeculorum. Amen.